

aliorum fratrum dicti Ordinis arctissima vita: quã ipsi ad obsequendum altissimo sub Euangelico iugo, ac humili habitu, & humilitatis spiritu, spreto sæculo, ac pompis eius, voluntariè assumpserunt: imperpetua Christi seruitute laudes diuinas die noctuque summa cum deuotione Domino persoluentes quotidie inducuntur. Dignum immò debitum reputamus, vt Ordo ipse apud eandem sedem gratiam liberalitatis inueniat: & priuilegia illi quomodolibet concessa: per ipsius sedis approbationem remaneant illæsa.

10 Dudum siquidè præfato, Sixto prædecessori nostro pro parte dicti Francisci de Paula exposito: quòd olim antea bonæ memoriæ Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus, tunc in humanis agens, eidem Francisco de Paula, vt quodam oratorium, siue ecclesiam, sub vocabulo Sancti Francisci in tenimento de Paula Consentinensis diocesis, ædificare posset, licentiam concesserat: ipseque Franciscus de Paula oratorium huiusmodi proprijs manibus, ac expensis, cum dormitorio pro ipsius, & sociorum suorum vsu, & habitatione pro magna parte ædificauerat; & nonnullos socios vitam eremiticam ducentes ibidem receperat. Ipseque Pyrrhus Archiepiscopus, præfatum oratorium, siue ecclesiam vnà cum omnibus iuribus, pertinentijs suis, præfato Francisco de Paula, suæque congregationi in perpetuum ordinaria auctoritate donauerat, & nonnulla alia suæ, ac sociorum prædictorum deuotioni, & saluti conuenientia salutifera, & opportuna concesserat, fecerat, & ordinauerat. Quodque oratorium siue eremitorium prædictum adhuc pro sufficiens habitatione Francisci de Paula, & eremitarum prædictorum perfectum non erat: ipsique illud pijs Christi fidelium elemosynis cum dormitorio, & alijs necessarijs officinis huiusmodi ædificabant, ampliabant, & exornabant. Idem Sixtus prædecessor tunc Episcopus Sancti Marci, eius proprio nomine non expresso, suis literis dedit in mandatis, vt si, & postquam vocatis (qui forent euocandi) de præmissis sibi legitimè con-

Sixtus quartus supra car. 6.

Narrantus gratiæ concessæ, a Pyrrho.